

Nf. 16.

DISSERTATIO PRIOR  
DE  
**ORTV**  
**ANIMAE HVMANAE**  
**A DEO,**  
NON PER ESSENTIALEM EMANA-  
TIONEM, SED PER CREATIONEM;

VIRO CLARISSIMO, PETRO POIRET, OPPOSITA:

*QVAM*

*IN REGIA FRIDERICIANA,*  
RECTOREM MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, *κ. τ. λ.*

*die X. Novembr. hujus MDCCXIII anni*

publicae disquisitioni submittit

PRAESES

**IOACHIMVS Sange,**  
S. TH. PROF. ORDIN.

RESPONDENTE

**ANDREA HERMANNO TESKE,**  
BERZOA-MAGDEBURGICO,

S. TH. CULT.

Editio. II.

---

HALAE MAGD. Litteris CHRIST. HENCKELII, Acad. Typ. 1727.

DISSERTATIO

ORTV

ANIMAE HUMANAE

NON PER ESSENTIALEM EMANATIONEM

TAMEN SED PER CREATIONEM

VINDICATA

DR. BRIDGESIO WILHELMO

PRINCIPIS FORESTAE MARCHIONIS BRAN-

DEBURGO M. P. A.

IOACHIMVS SINGE

ANDREA HERMANNO TESKE

HABE MAGD. JACOBI CHRISTI HERRMANNI AUCT. TYP. 1787



# LETORI CHRISTIANO

S. P. D.

AUCTOR.



Otatu dignissimum est Apostoli estatum: *Omnia probate, quod bonum, tenete* 1. Theff. V, 21.

Id quod uti usum habet universalem; sic præcipue lectionem librorum salutariter dirigit. Nec inter doctos, si sapient, erit ullus, qui & aliena probare, & sua probari, nolit. Non ergo ægre, quod spero, feret vir doctissimus, PETRUS POIRET, ea me in scriptis suis uti libertate, quam ipsi in meis lubens concedo. Edidit is inter alia spissum *Oeconomix*, quam vocat, *Divinæ Systema*, septem minoribus tomis constans: quod Gallice prodiit Amstelodami abhinc duodetriginta circiter annis; Latine vero Lipsiæ anno hujus seculi quarto. In hoc opere quid erudito sinceroque lectori placere possit, adest quidem passim; sed nec desunt in eo, quæ, ad veritatis amissim exacta, jure displiceant; & eo quidem magis, quo plus adferunt periculi, atque quo majorem veri speciem ipso proponendi modo præ se ferunt. Et hæc ut in gratiam imperitorum, quibus incauta mens est,

A 2

pa-

palam notentur, sane interest rei christianæ. Præstare id aliquo modo conatus sum in parte tertia libri, quem in vernacula a via inter errores media, richtige Mittel-Strasse zwischen den Abwegen / inscripsi. In ea enim primarium, idque geminum, doctrinæ evangelicæ caput, quod de Christi *Satisfactione* & nostri *Iustificacione* agit, uti ab Huthmanni & *Pseudonius* Democriti, sic etiam ab Auctoris nostri, corruptelis, quantum in me fuit, repurgavi. Et cum eo tempore, Poiretianam Oeconomiam legens, plures in ea scopulos, ad quos incauti facile offendant, deprehenderem; spem injeci lectoribus, fore, ut unum atque alterum dogma, a vero alienam, more in Academiis recepto, aliquot disputationibus ad revelatæ veritatis normam exigerem. Hoc vero est, quod nunc, in Nomine Dei, perficere aggredior, selecta in præsentem operam materia de animæ humanæ, quatenus in primo homine, Adamo, consideratur, ortu. Ubi quaritur: utrum Adami, atque ita humana, anima a deo producta sit per emanationem ex ipsa divina essentia, seu per communicationem naturæ divinæ? an vero per creationem? Posterius adfirmat ecclesia, non solum evangelica, sed fere in universum tota, de Christi nomine dicta, solidissimis rationibus nitens.

tens. Prius adserit Auctor noster, idque adstruere laborat in Oeconomix suæ Libro I. & primum quidem cap. X. variis philosophematis; & deinde cap. XI. aliquot scripturæ sacræ locis. Posset quidem divisa hæc Auctoris CL. opera una hac dissertatione commode expendi; quandoquidem vero præstantissimus Respondens istam exoptat breviorē; in præsens considerabimus priorem tentatæ demonstrationis partem, posteriore ad peculiarem, & brevi insecuturam, dissertationem reservata. Hac usus est methodo Auctor, ut paragraphis singulis præmiserit lemmata, tractationis summam exhibentia. Quare, cum integer ejus sermo huc transcribi commode nequeat, lemmata ista una cum potioribus nervis suis *διαλοτικῶς* in justa veritatis lance expendemus. In posteriori vero dissertatione integrum textum, utpote aliquanto breviorē, adponemus. Ceterum Deus largiatur gratiam suam, ut hæc hujus materiæ disquisitio, uti citra *φιλονεικίαν* suscepta est, ita etiam in Nominis sui gloriam cedat!

DISSERTATIO PRIOR  
CAPITI X. L. I. OECONOM.  
OPPOSITA.

§. I.

**LEMMA I.** Hominis naturam necessario divinam esse.

**DIALYSIS.** **N**Ullum video argumentum in Lemmatis hujus expositione; nisi quod a naturæ divinæ, quæ Auctori nostro intelligentia & amor est, representatione, ad quam anima producta sit, ducitur. Sed anne spiritus, etsi diversæ naturæ, tamen DEUM, tanquam spiritum infinitum, ratione intelligentiæ & amoris, suo modo representare potest? Itaque fundamento caret, quod adferitur: *Illud, quod imaginem Dei viventis, conscii, liberi, supremi & independentis, quoad fieri potest perfectissime representabit, necessario esse debet naturæ divinæ, seu ejusdem naturæ, cujusest ipse Deus.*

§. II.

**LEMMA II.** Si homo Deum non nisi idealiter representare debuisset, non sequeretur, naturam facultatesque ejus esse divinæ naturæ, quales revera sunt.

**DIALYSIS.** Sensus expositi lemmatis est: In homine creando, præter ideas, seu cogitationes, de Deo super-ficiarias & naturales, esse debuisse ipsum divinum lumen, divinum amorem, divinam libertatem, ipsumque Deum: atque ita pro his dotibus animam hominis non posse non esse divinæ naturæ. Sed cum hæc ad præceden-



dentis lemmatis sensum recidant, & novo argumento careant; nova hic responsione opus non est.

## §. III.

**LEMMA III.** Nisi anima hominis naturæ divinæ esset, non posset Deum admittere, aut commercium cum eo habere.

**DIALYSIS.** Urgetur hic idem argumentum: id quod nunc ita inverto: Nisi anima hominis naturæ esset a divina diversæ, non posset, immo nec deberet, Deum admittere, sed potius esset ipse Deus, sibi ipsi sufficiens, sublatore creatorum inter ac res creatas essentiali discrimine. In lemmatis explanatione inter alia hæc leguntur: *Nulla materiæ communicio esse potest cum Deo, quoniam naturam habet diversam.* Sed nemo adserit, animam esse materiam. Frustra ergo hæc & plura hujus generis adponuntur: Frustranea est hæc lemmatis conclusio: *Ergo anima non posset cum ipso Deo commercium habere immediatum, neque Deus in ea habitare, nec ipsa in Deum ingredi (locutio & res sacris litteris ignota!) nisi quid in ea inveniretur, quod divinæ esset naturæ, aut potius nisi ipsa naturæ divinæ foret.* Postquam præmissum erat: *nullam materiæ communicioem esse posse cum DEO,* dicendum nunc fuisset: *Ergo anima non posset commercium habere cum Deo, nisi esset spiritus creatus, Spiritus creatoris suo modo capax.*

## §. IV.

**LEMMA IV.** Deum non secundum solas operationes suas in anima divina præsentem esse.

**DIALYSIS.** Sed quid tum? Hoc enim illi etiam, qui animam hominis pro creato spiritu habent, omnino statuunt,

tuunt. Ipsi<sup>us</sup> Divinæ essentia<sup>e</sup> præsentiam ne quidem a macrocosmo, qui mera materia est, sejungere possumus; tantum abest, ut a microcosmo, seu ab homine, qui altera sui parte spiritus est, sejungi debeat, solis Dei operationibus ipsi relictis. De scripturæ locis, hic productis, infra agetur.

## §. V.

**LEMMA V.** Difficultates ex hac veritate nascentes. Principium easdem solvendi. Quo sensu anima divinæ naturæ non sit.

**DIALYSIS.** Difficultates de animæ necessitate, independentia & æternitate, ex hypothesi de natura animæ divina secuturæ, speciosius solutæ sunt, quam verius. Nec distinctio representationis, in necessariam & arbitriariam, nodos solvit. Anima non hoc demum, aut isto, modo non est divinæ essentia<sup>e</sup>, seu naturæ, sed divina natura, ratione constitutionis, plane non potest dici de anima.

## §. VI.

**LEMMA VI.** Quomodo anima sit divinæ naturæ.

**DIALYSIS.** Auctor in lemmatis declaratione *τὸ* esse ens intelligens volens & liberum, confundit cum *τῷ* esse se divinum, seu naturæ divinæ: siquidem, ut spiritus aliquis sit intelligens, volens & liber, seu libere agens, nulla ipsi opus est divinitate, sed sufficit natura spiritualis, a divina, proprie sic dicta, admodum diversa.

## §. VII.

**LEMMA VII.** Quomodo natura divina in Deo & in anima differat.

**DIALYSIS.** Audiamus hinc ipsum Auctorem: *Deus per se ipsum Deus & divinus est, anima vero per dependentiam*

*viam salutem & per communicationem Dei. Deinde anima divina non est per communicationem divine nature necessariam, Deoque essentialem, per quam verbum Dei Deus est, sed per solam communicationem arbitrariam, per gratiam mere gratuitam, non per necessariam nativitatem ex DEO. Sed hæc differentia nequaquam sufficit ad notandam infinitam illam discrepantiam, qua creator a rebus creatis distinguendus est. Divinæ nature communicatio, five necessaria dicatur, five arbitraria, Deos efficit. Et sic habebimus ἀποθεώω in genere humano. Quod absit per omnem modum! Noster vero auctor, quam parum ab ea abhorreat, ipse fatetur, quando ἀνθρώπος ita pergit: Anima (si ita loqui fas est, & quidni fas sit, ea loqui, quæ verissima sunt, & a scriptura ipsa discrete confirmantur?) VERE DEUS QUIDAM EST PER GRATIAM. Quidquid in Deo est per naturam & independentiam, idem in anima est per gratiam, arbitrario & voluntario, per liberalitatem puram & incomprehensibilem, qua DEUS illud cum ea communicari voluit. Quæ si vera sunt, anima erit omnipræsens, omniscia, omnipotens. Quis vero hæc unquam tribuit animæ? Agnoscat ergo Auctor, se extra oleas vagari. Idem in lemmatis huius expositione, quasi rectius sentiens, dicit, Deum homini dedisse essentialiam divine essentiæ simillimam. Quæ, in genuino sensu accepta, bene se habent, sed in eodem ab essentiali emanatione aliena sunt: utinam ab ista etiam Cl. Auctori aliena essent!*

## §. VIII.

**LEMMA VIII.** Esse in homine res & proprietates divinas, omnibus, quæ in tota divinitate & sacrosancta Trinitate inveniuntur, respondentes.

B

DIA

**DIALYSIS.** Hæc, recte intellecta, nihil faciunt ad hypothese[m] de ortu animæ per emanationem. Nam omnes illi, qui per tot seculorum decursum, numero plene innumero, animæ originem ad Dei creationem referunt, non aliam statuunt indolem humanæ animæ, quam divinæ naturæ simillimam.

## §. IX.

**LEMMA IX.** Cavendum, ne ea, quæ in anima divina sunt, confundantur cum iis, quæ ad solas creaturas relationem habent.

**DIALYSIS.** Rursus hic in hujus lemmatis explicatione nihil deprehendo, quod vel tantillum juvet hypothese[m]. Diversas animæ dotes, & functiones, quibus vel ad creatorem, vel ad res creatas fertur, nemo sapiens confundit: sed easdem nec exchit nimium, qui sapit, potius suum tribuit cuique.

## §. X.

**LEMMA X.** Si in homine facultates nullæ essent, præterquam pro solis ideis, sensationibus & operationibus creaturarum, homo non tam divinus foret, quam animalis.

**LEMMA XI.** Ita homo propius accederet ad similitudinem bestię, quam Dei.

**DIALYSIS.** Summa lemmatum est, *adesse in homine capacitatem aliam pro DEO, aliam pro creaturis & creaturarum ideis.* Quæ recte accepta vera sunt omnino, sed hypothese[m] de ortu animæ non patrocinantur. Præterea in horum lemmatum expositione Auctor Clar. recte philosophatur de natura animæ, quando adscrit, *inveni in natura & facultatibus animæ, quod cum natura essen-*

essentiaque divina conformitatem aliquam vivam habeat. Utinam ubique intra hosce limites subsisteret! Quando autem in lemmate XI. facultatibus animæ divinam tribuit naturam, rursus durius loquitur ac sentit. Lemmata sequentia, XII. & XIII. de anima brutorum agunt, atque ita ad præsentem disquisitionem proprie non pertinent, utpote a prudentibus nunquam negata, sed concessa; in genuino tamen sensu.

## §. XI.

**LEMMA XIV. Anima non materia simplicis creaturæ, sed materia divina constat.**

**DIALYSIS.** Vox, *materia*, hic plane est inconveniens: tolerabilior tamen fit, quia per vocem, *natura*, explicatur. Ceterum repetitam, non vero probatam, hic deprehendo hypothesin de ortu, seu productione, animæ per emanationem & divinæ naturæ communicationem. Unde, quod diluendum fit, hic non occurrit. A vero autem quam alienissimum est, statuere, naturam *λογος ὑποστατικὸς* a natura animæ humanæ tantum respectu independentiæ, quam Auctor vocat, & necessariæ communicationis, differre.

## §. XII.

**LEMMA XV. Anima non est ex mero nihilo, sed ex Deo facta est.**

**DIALYSIS.** Nervus argumenti, in Lemmatis declaratione propositi, est in idearum, quas Deus de homine habuerit & de reliquis rebus creandis conceperit, diversitate. Adferit enim vir doctissimus, reliqua hujus universi omnia, ab homine distincta, ita prodisse ex mero nihilo, ut nec ideam, nec substantiam antea habuerint; sed materiam & formam ideæ, seu naturæ, animæ jam in Deo

fuisse ab omni æternitate, & inde ad humanæ naturæ constitutionem cum homine communicatam fuisse. Unde infertur hæc conclusio: *Atque ita Deus existentiam ejus actualem & homini propriam non simpliciter ex nihilo extraxit, aut simpliciter creavit; sed divinitus veluti enixus fuit, perinde fere, ac si cogitatio cogitationem aliam produceret, eamque postea separatim & in se existere faceret.* Sed quid hoc est aliud, quam rem incertam (ne quid nunc gravius dicam:) æque incerta probare? Unde Auctori nostro constat de ista idearum divinarum natura ac diversitate? Et si enim creaturæ omnes, omnesque ideæ omnium, quæ mere & absolute creatura sunt, (ut Auctor loquitur) a conceptu Dei arbitrario pendent; quid tamen obstat, quo minus mundi creandi, rerumque in eo continendarum, ideam, uti propositum, Deus ab æterno habuerit, æque ut creandi hominis, tanquam microsmi? Ubi fundamentum adfertionis, qua res a Deo extra divinitatis sinum in tempore productæ dicuntur quidem mere & absolute creatura esse, sed ita, ut ex ejusmodi creaturarum numero anima hominis eximatur? Ubinam vestigium existat divini enixus in productione hominis? Scripturæ loca, in hujus hypotheseos præsidium infra producta, ejusmodi ideas nobis non subministrare, in dissertatione posteriore videbimus.

## §. XIII.

**LEMMA XVI.** Anima hominis ex Deo nata est, & Deus verus animæ Pater.

**DIALYSIS.** Ipse Auctor in lemmatis hujus expositione præcipue id agit, ut sententiæ suæ demonstrationem promittat, in sequentibus præstandam. Igitur etiam consideratio nostra eo differenda est. Locus Pauli Hebr. XII, 9. ubi

ubi *Deus* dicitur *pater spirituum*, non juvat Auctorem. Nam ob vocem, *pater*, de homine præmissam, *DEUS* in oppositione ad patres humanos *pater* vocatur, & quidem *spirituum*, quia patres humani vocati erant *πατέρες τῆς σαρκός*. Præterea hic supponitur gratia *διόθεσίας*, secundum quam *Deus* credentium *pater* est. Hæc vero emanationem animæ non requirit, nec agnoscit.

## §. XIV.

**LEMMA XVII.** Si anima ex mero nihilo extracta esset, nec Deum, nec quæ in Deo geruntur, divinare præsentare posset.

**DIALYSIS.** Quidni? Quod si creatus spiritus creatoris sui imaginem gerere haud potuisset, aut potentia, aut sapientia Dei arguenda esset magni defectus. Sed quis hoc vel serio cogitare fuerit ausus? Nec enim ullam res ipsa contradictionem habet; nimirum esse creatum ex nihilo, & creatoris imaginem, creatæ naturæ impressam, exprimere. In Lemmatis declaratione Auctor sententiæ suæ geminum supponit fundamentum: unum, hominem ita ad imaginem Dei fuisse factum, ut etiam nativitatem *λόγος* æternam ortu suo divino repræsentaret: alterum, hominem secundum animam æque existisse per communicationem divinæ naturæ, ac per eandem ipse *λόγος ὑποστατικός* ab æterno existerit, hæc tantum differentia intercedente, quod *λόγος* natus sit per communicationem necessariam, homo autem per arbitrariam. Sed utrumque fundamentum arenosum est. Etenim prius nunquam adseruit scriptura sacra; sed potius contrarium habet, dum *λόγος* dicit esse genitum, hominem vero creatum, nunquam vero, qua homo est, genitum a Deo; quemadmodum *λόγος* nunquam

quam appellat creatum. Posterius introducit ἀποθέω-  
σιν, tantum gloriæ Christo detrahens, quantum homini  
hac in parte tribuit.

## §. XV.

**LEMMA XVIII.** Nihilum ita exaltari non potest, ut  
divinitatem radicitus repræsentet.

**DIALYSIS.** Cur nostra impotentia divinæ potentie  
limites ponat? Sane potentie divinæ objectum fuit at-  
que adhuc est, quicquid contradictione non laborat,  
nec reliquis Dei attributis essentialibus repugnat. Quæ  
autem hic est contradictio, quæ repugnantia, creatum  
esse ex nihilo, & creatoris imaginem repræsentare? No-  
ster vero Auctor quousque divinitatis repræsentatio-  
nem extensam velit, modo percepimus. In Lemma-  
tis explicatione argumentatio rursus arcessitur e Dei i-  
deis, sed ipsi Auctori, uti arbitror, æque incognitis, ac  
mihi aliisque mortalibus. A vero autem abhorret, ne-  
gare, Deum nullam conditi mundi ideam habuisse ante  
ipsam creationem. Quod si Auctor hoc non negat,  
ideali suo nihilo nihil proficiet, præterea plus subtilita-  
tis ratiocinando consectans, quam ἀνεπιβέτας.

## §. XVI.

**LEMMA XIX.** Quod Deum admittet, non ex ni-  
hilo exit, sed ex Deo natum est.

**DIALYSIS.** Hoc est, hypothesin suam repetere, non  
probare. Nec quidquam argumenti lemmatis decla-  
ratio habet. Adferitur quidem, Deum habitare non  
posse, nisi in se & in natura sua: sed non probatur. Quod  
si homo habitare potest in domicilio, a natura sua diver-  
sissimo; quidni Deus possit naturam humanam, a sua di-  
versam quidem, sed tamen ad suam imaginem conditam,  
in-



inhabitare? Excipis domicilium non debere, nec posse, repræsentare imaginem inhabitantis. Bene: homo debebat imaginem Dei inhabitantis exprimere; & ideo ipsi impressa fuit. Sed num per emanationem, seu communicationem naturæ? Nequaquam. Sufficit creatio, seu productio ex nihilo; quæ uti Deo dignior, sic homini est convenientior.

## §. XVII.

**LEMMA XX.** Quomodo mentes propter verbum Dei & in ejus gratiam ex Deo natæ sint: quosensu item ex nihilo prodierint.

**DIALYSIS.** In Lemmatis hujus declaratione inter alia hæc leguntur: *Collibitum fuit Deo ex mero arbitrio, non hunc solum primogenitum (filium suum dilectissimum) habere, sed & alios ejusdem fratres videre, ideoque primogenitum suum unice sibi necessarium, quem adeo pulcrum inveniebat, gratuito & ex mera liberalitate voluit multiplicari, ut & ipse & Primogenitus suus divinus in filiis suis reliquis ad vivum repræsentarentur.* Dura sane est phrasis, & multo adhuc durior & a vero alienior sententia, de multiplicatione filii Dei. Quid non commiscitur ratio, in divinis sibi ipsi relicta? Et hic error nititur alio, jam aliquoties detecto, eo nimirum, quod imago Dei in & a spiritu creato repræsentari haud potuerit, & quod ideo anima, cum ipsa filii Dei multiplicatione, ex ipso Deo, seu ipsa Dei natura, desumenda fuerit. Quod ut emolliat Auditor, distinguit inter naturam, seu essentiam, animarum & inter earum existentiam, seu subsistentiam, conceditque, respectu existentia, seu subsistentia, animas mentesque angelicas jure creaturas appellari, & tales revera esse; at, naturam earum, seu essentiam, extra respectum ad subsisten-

sistentiam istam semper fuisse in Deo, & ex Deo emanasse, seu natas esse, contendit. Sed quid hoc est aliud, quam vulgarium metaphysicorum more in rebus divinis *μυστηριώδεις* *ἔσθαι*? Quis unquam subsistendi modum creaturam dixit, negavitq; rem ipsam subsistentem creaturam esse?

## §. XVIII.

**LEMMA XXI.** Non mirum, si forte veritates hæ ab omnibus non intelligantur.

**DIALYSIS.** Nec committendum est intelligendo, ut jure nostro haud intelligamur. Ego quidem, pro mea ingenii tenuitate, quid sibi velit Auctor, mihi videor, quantum satis est, assequi. Sed argumenta desidero. Quidquid vero sine causarum nexu intelligimus, ignoramus potius, quam scimus! An vero lectorum, a receptæ hypotheseos, aut credulitatis, præiudiciis vacuorum, sit ullus, qui hac in parte me sit felicior, & tentata demonstratione plus convictionis acceperit, dubito. Addit Auctor: *Nec indigne ferant, sermonem nostrum in hisce ab usu vulgi parumper desistere, neque perinde sibi perspicuum esse, ac si de cuticula curanda ageretur. Nos certe eis nunquam litem movebimus circa res, aut voces, quibus vel in voluptatibus, vel in vanitatibus, vel in negotiis suis terrestribus utentur; unde merito & ipsi in Oeconomia Dei, Patris nostri, consideranda, nos inturbatos relinquant, optamus. Vtinam vero Auctoris nostri sermo cum deserto usu, quem vocat, vulgi, non simul purioris doctrinæ ὑποτύπωσιν defereret! Illi, quibus in voluptatibus cuticulæ cura est, ut se prius ipsos ab hoc animi morbo liberent, quam alios curare occipiant, æquissimum est. Sed ægre, quod spero, haud feret Vir Cl. si viderit,*

rit,

rit, alios etiam, quibus uti sua salus, ita etiam cælestis doctrinæ depositum, curæ cordique est, habere, quod desiderent; scilicet ne noxiis opinionibus veritas animique innocui turbentur.

## §. XIX.

**LEMMA XXII.** Quare hæc tam alte hic repertantur.

**DIALYSIS.** Audiamus hic ipsam Auctorem: *Non desunt, inquit, qui velint, Patrem nostrum animo esse ita malevolo in animas plerasque & creaturas spirituales, ut calamitatibus eas sempiternis creaturus destinaverit. Hos vero hypothese sua quam efficacissime refelli posse, existimat. Verum enim vero non assumendus est error, ut veritati patrocinetur. De consequentia, quam Logici vocant, nunc non disputo, sed de suppositi antecedentis, de animarum emanatione, veritate: quam, dum rectius adstructam haud viderit, amplecti nemo potest. Ceterum etsi Auctor naturæ humanæ tribuit nimium, non tamen dubitat, hæc interserere: Nemo interim eorum, quibus nec intelligentia, nec bona voluntas deest, timebit, ne verba nostra altius, quam par est, & ultra veritatis fidem adscendant, que revera nec limina ejus hactenus attingunt. Immo quæcunque possim dicere, ea nunquam ad miracula ista ineffabilia & divina, quæ Deus in creatura sua esse voluit, accedere, ac ne longo quidem intervallo, poterunt: quippe cum in creatura non desint, quæ vel illuminatissimas quasque mentes transcendant. Verum quidem est, nos plerumque ne longissima quidem consiliorum & operum divinorum descriptione ullam, vel minimam, eorum partem, recte adsequi; sed*

C

ne-

negari tamen nequit, sæpe unica etiam phrasi adfirmari de iis posse, quod nimium est, seu justam mensuram, qua nobis patefacta sunt, excedit. Sic nemo prudens adfirmabit, se vel unius aviculæ naturam intime & perfecte habere perspectam. Quis vero non animadvertat, nimium fore, si quis illi rationem tribuere vellet, in demonstrationis defectu caussatus suam in consideranda animalium natura ἀβελήαν? Obviam quidem iturus Auctor prævisæ huic de nimis elata animæ natura, objectioni: *Sed nec timeant, inquit, ne confundam forte creaturam cum creatore: caveant isti potius, ne divulsa velint a creatura, que Deus illi coniunxit. Ego sane aperte satis dixi, naturam animæ divinam quidem esse, at per communicationem arbitrariam, eamque per solam voluntatem atque potentiam Dei possidere, quecumque in propria ejus existentia inveniuntur. Hæc differentia propria est & essentialissima, qua Deus a creatura intelligente, Pater a filiis gratuitis distinguitur, licet alias filii ejusdem sint naturee cujus est Pater. Hæc est Auctoris, de confusione creatoris & creaturæ non introducta, protestatio, sed ipsi facto contraria. Quid enim, homini divinam naturam tribuere, est aliud, quam committere ἀποδίωσιν, & sic, quod solius creatoris erat, per confusionem manifestam, etiam creaturæ adscribere? Hoc vero Auctori nostro parum esse, supra Lemmate VII. ipse apertis professus est verbis: *Anima, inquit, vere Deus quidam est* κ. τ. λ. Nec absolvit ipsum a confusionis errore, quod & Deo & homini differentiam aliquam, quam essentialissimam vocat, relinquat. Etenim non omnis distinctio omni confusioi medetur.*

tur. Et quomodo illa Dei & animæ differentia vocari potest essentialissima, quæ, supposita una & eadem utriusque essentia seu natura, extra hanc statuitur, poniturque in modis aliquot, ab ipsa essentia diversis? Ceterum, quæ de vitanda creatoris & rei creatæ divulsionem monet Auctor, hoc loco intempestiva sunt. Nec enim eam ullo tentant modo, qui, ipsum a confusione abstinuisse, sincere exoptant,

§. XX.

**LEMMA XXIV.** Anima per originem suam est divinæ particula auræ.

**DIALYSIS.** Hæc prisca, utinam etiam vero congrua, Platoniorum, & Stoicorum vox est. Neque id dissimulat Auctor noster. Immo hoc istorum effatum adeo facit suum, ut scribere non dubitet: *Quibus* (quorundam philosophorum) *verbis nihil mihi videtur planius, nihil verius.* Mihi vero istis nihil videtur, immo certe deprehenditur, falsius, præcipue in Stoicorum sensu. His enim Deus erat anima mundi, seu essentia per universum mundum modo materiæ proprio expansa, seu diffusa, eum ita informans, ut mens humana corpus. Et pro hac hypothese stuebant, animam hominis (immo & brutorum) esse θεῖς ἀρίσπασμα, θεῖς μόριον, θεῖς τμήμα, h. e. divinæ essentiae particulam, atque ita Deum quendam. Quæ sententiarum βδιδόγματα quantum doctrinam Stoicorum moralem corruperint, doctis notum est. *Conf. Medic. Ment. Hist. Phil. p. 184. seqq.* Nostro quidem Auctori ista in universum nequaquam tribuo; optaverim tamen, ipsum ea explorasse curatius, & minus adprobasse.

C 2

§. XXI.

## §. XXI.

**LEMMA XXV.** Anima modum productionis suæ perfecte non intelligit.

**DIALYSIS.** Intelligentiæ defectus per se nequaquam obstaret assensui, si hypothetis ista certo niteretur fundamento: sicuti nec creationis modum assequitur ratio, etsi revelationis lumine collustrata: sed, loco fidei relicto, facile concedit, ut cum Paulo dicamus: *πιστεινοῦμεν, fide intelligimus, perfecta fuisse secula verba Dei.* Hebr. XI 3. Notandum vero est, Auctorem nostrum in lemmatis hujus expositione rursus satis manifeste prodere, quod de animæ ortu minus recte sentiat. Nam productionem ejus vocat expresse *emanationem*, novum sermone membrum ita inchoans: *At si quis inquirat penitius, quanam fuerit hæc emanatio animæ, ex Deo suo egredientis & nascentis?* &c. τ. λ.

## §. XXII.

**LEMMA XXVI.** Alia huius disquisitionis utilitas. Demonstratio immortalitatis animæ.

**DIALYSIS.** Prona quidem & solida est consequentia argumenti: *Inter demonstrationes, quæ ad solam theoriam pertinent, præcipua & solidissima in eo est, quod anima sit naturæ divinæ, ejusdem putæ, cujus est ipse DEUS. At qui vero DEUS immortalis est, & divina eius natura perire non potest. Ergo & anima, ex Deo nata & naturæ divinæ particeps, immortalis est. Quæ probatio est omnium solidissima, essentialissima & maxime directa; neque cuiquam aliis ascendere licet: eademque est evidentissima & exceptione omni maior.* Hæc quidem satis bene se habent

bent respectu consequentiæ, nimirum immortale esse, quod naturæ divinæ est. Sed ubinam argumenta de divinitate animæ? Hæc quia probata non est, nec probari potest, ideo doctrina de ejus immortalitate, tam lubrico, quod nullum plane est, fundamento superstructa, corrui potius scepticorum, hominum ludibrio exposita. Hi enim quando, pro sua mentis sagacitate, facile perspiciunt, ne sanæ quidem rationi consentaneam esse speciosam illam de emanatione animæ hypothesin; firmioribus argumentis destituti non possunt non in improba sua fluctuatione de mentis immortalitate confirmari.

## §. XXIII.

Hæc hæctenus de Lemmatis tractationis Poiretiana. Quæ quam infirma sit, quin attentus lector probe observaverit, non dubito. Restat, ut paucis adhuc detegam incommoda illa, quibus hæc hypothesi laborat. Ea vero patefiunt, si consideremus pugnam illam, quæ isti cum multis doctrinæ revelatæ capitibus haud obscure intercedit.

## §. XXIV.

Hypothesi de emanatione animæ e divina essentia pugnat cum doctrina de DEO. Obstat enim naturæ divinæ simplicitati, quidquid Auctor de simplicissimo emanandi modo, qui cogitando fiat, caussetur. Obstat divinitatis ἀπεροχία; utpote quæ citra manifestissimam ἀποθέωσιν communicari nequit.

## §. XXV.

Hypothesi de E. A. pugnat speciatim cum doctrina de divinitate Filii Dei. Huic enim, & animæ hu-

manæ, eandem tribuit naturam, eandem emanationem, ea tantum differentia, quæ in necessaria & arbitraria communicandi ratione fingitur, admissa. Sic veritas proditur Socinianis, ipsorum ludibrio exposita. Illi enim æternam filii Dei generationem eodem dicent fundamento niti, quo divina animæ humanæ emanatio superstrueta sit, i. e. imaginario, immo nullo.

## §. XXVI.

Hypothesis de E. A. pugnat cum doctrina de *Creatione*, *ἀποθεϊσµῶ* humano manifeste introducto. Hæc enim secundum plurima scripturæ oracula, pro evidentissima rei ipsius analogia, præter creatorem & res simpliciter creatas, seu simplici & vera creatione productas, nescit substantias divinæ naturæ medias. Eas vero qui fingit, tantum demit creatori, quantum rebus creatis tribuit. Quid? quod e modo dicta hypothesis sequeretur, humanam naturam, seu genus humanum, non in certa aliqua specie constitui, sed nihil esse aliud, quam ipsum Deum, corporibus immersum.

## §. XXVII.

Hypothesis de E. A. pugnat cum doctrina de *lapsu*. Quomodo enim in divinæ naturæ substantiam, quæ ex ipso Deo emanavit, & ejusdem cum Deo essentiæ est, cadere potuit tanta a Deo defectio, quantam per peccatum in genus humanum introductam deprehendimus? Num divina natura se ipsam potuit negare, aut deserere, ac sibi ipsi adversari?

## §. XXVIII.

Hypothesis de E. A. pugnat cum doctrina de *insep-*  
*tiō-*



*νόσει filii Dei.* Etenim hic integram humanam naturam, atque ita non solum corpus, sed omnino etiam animam humanam, assumfit. Jam si anima humana divinæ naturæ est, in Christo geminam habemus divinitatem: unam respectu æternæ generationis, alteram respectu *ἐνσαρκωσεώς*; & ita quidem, ut illa hanc induerit, & divinis perfectionibus impleverit, & utraque sit una, tantum secundum existendi modum diversa. Sed quis ejusmodi doctrinarum portenta ferat, aut amplecti possit?

## §. XXIX.

Hypothesis de E. A. pugnat cum *præctico salutis ordine* & cum *mediis salutis*. Etenim eo facile perducit hominem, ut Scripturæ sacræ, & reliquorum, quibus regnum gratiæ gaudet, mediis usu neglecto, aut parum curato, pro naturæ suæ, quam credit, divinitate, arcana cum Deo commercia quarat, Dei lumen ab ipso non nisi *ἀπέσως* admitturus. Quam viam ego quidem nemini inviderem, si a Deo nobis fuisset præscripta, nostræque imbecillitati conveniret. Neutrum vero probari potest; potius contrarium luculenter exstat: quemadmodum in parte libri, *richtige Mittel-Strasse*, secunda adversus enthusiastam pluribus demonstravi. Quid dicam de philautiæ peste? Hanc enim ista, de ortu & natura animæ, opinione ali, quis dubitabit? Taceo pugnam cum doctrina de servo arbitrio, seu de nostra in spiritualibus *ἀδυναμία*, non coherente cum tam eximia persuasione de origine & natura animæ.

## §. XXX.

Hypothesis de E. A. pugnat denique cum doctrina

na de *eterno exitio*. Quis enim credat, naturam divinam ei devoveri posse? aut naturam, quæ in DEO est, & ratione essentia ab ea, quæ cum homine communicata est, non discrepat, hanc damnaturam esse? Siccine Deus se ipsum poterit abnegare, & a se ipso discedere, ut Deus Deum condemnet & æterno exitio adiudicet? Utinam hæc & alia opinionis huius incommoda & absurda recte perpenderet hodiernus ejus patronus, ab eaque & remitteret ipse, & alios abduceret! Saltem, quod spero, agnoscat, se in diversis doctrinæ partibus assensum non mereri.

Ceterum, memini me observare, scriptores quosdam mysticos nonnunquam inusitatis uti locutionibus de natura animæ, sed sine adprobatione hypotheseos de emanatione. Habet ergo, quod in iis ferat christiana caritas. Consultissimum vero est, etiam verbis uti rectæ menti consonis,

S. D. G.




B 179  
Fg


ULB Halle

002 675 65X

3







DISSERTATIO PRIOR  
DE

ORTV

ANIMAE HVMANAE

A DEO,

NON PER ESSENTIALEM EMANA-  
TIONEM, SED PER CREATIONEM;

VIRO CLARISSIMO, PETRO POIRET, OPPOSITA:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, *u. r. l.*

*die X. Novembr. hujus MDCCXIII anni*

publicae disquisitioni submittit

PRAESES

IOACHIMVS Sange,  
S. TH. PROF. ORDIN.

RESPONDENTE

ANDREA HERMANNO TESKE,

BERZOA - MAGDEBURGICO,

S. TH. CULT.

Editio. II.

HALAE MAGD. Litteris CHRIST. HENCKELII, Acad. Typ. 1727.